

05

A

195





DISPUTATIO PHYSICA 60
De
ANIMA RATIONALI,
ejusque
FACULTATIBUS

Quam
DEO DUCE
&
NATURA LUCE
Sub
PRÆSIDIO
DECANI SPECTABILIS
VIRI

Præximii atq; Clarissimi
DN. M. JOHANN. MICHAELIS
Straussen /

Facult. Philos. Adjuncti meritissimi &c.
Domini Fautoris ac Præceptoris sui omni observantiæ
cultu ætatem devenerandi

Publicæ & placidæ disquisitioni exhibet
ad d. 22 Septembris horis antemerid.
in Auditorio majori

JOHANNES CHRISTOPHORUS WENIGER,
Glashuttâ-Misn.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN, Anno M. DC. LX.

61

DISMANTATO PERICOLO

ANNA ANNA

CHIEF

TACCHETTI

ESSENTIAL

UNIVERSITY

UNIVERSITY OF HALL



05 A 195





I. N. J.

Præloquium.

Non sine ratione Satyricorum Princeps Juvenalis aureum illud
beatæ vite instrumentum, **NOSCE TEIPSUM**, quod Cræso ex
tripote subministratum, & Delphici templi foribus præscriptum è cælo
descendisse auguratur. unicuiq; commendat, quando scribit:

E cælo descendit, γνώσι σεαυτοῦ

Figendum & memori tractandum pectore.

Humana mens scandit ad astra, eorumq; cursus & aspectus obser-
vat: intrat viscera terra, & gemmarum metallorumq; generationes
rimatur: expatiatur in prata, hortos, sylvas & nemora, & plantas,
fruges & arbores intuetur: confert se in stabula, & brutorum naturã
indagat: imò quandoq; in non necessariis speculationibus se præstat
occupatissimam. Verùm quid opus hisce? quid tam anxie tractamus
& evolvimus, quæ suprâ, circa aut infra nos, cum ignoremus quæ
intra nos? Figendum potius & memori tractandum pectore γνώσι (ε-
αυτοῦ, si quid è in vobis ipsis habemus, quod ardori sciendi sufficere, imò
eundem superare valet. Est n. homo magnum naturæ miraculum, γαῦ-
μα γαυροῦ τῶν ἄλλων (ὡς γὰρ γαῖαν, ut Plato eum vocat in Timæo, est terre-
nus quidam DEUS, cui lucent sidera, cui generantur gemma & metal-
la, cui progerminant planta & arbores, cui non tantùm animalia ca-
etera, verum etiam omnia corpora naturalia sua præstant servitia, est
magnum mundi mundus parvus, in quo velut in exemplari universi pul-
chritudo collectaq; virtus conspirat. Ut non immeritò Zoroaster ex-
clamaverit: ὦ ἀνθρώπε, ἰολυνεῖς ἰδὲ τὸν ἴνσ φύσεως ἀγαθὰ. Om-
nia n. miranda in homine, omnia stupenda, sive spectes corpus, sive ani-
mam. In corpore tot sunt miracula, quot membra, quæ tamen ad a-
nimam collata nil nisi umbra esse videntur. Hæc n. est, in quâ divina
mens ita se expressit, ut admirabilem divinitatis imaginem non malè
dixeris. Est, inquit B. Sperlingius, medit. in exerc. Scaligeri medit.
14. p. 391. molis expers, sicut DEUS ipse. Est materiae expers, sicut
DEUS ipse. Est incorporea, sicut DEUS ipse. Est tota ubicunq; est, sicut
DEUS

Satyr. XI
v. 270

A 2



DEus ipse. Est passionis & interitus expers, sicut DEus ipse. Fi-
 gendum ergò & memori tractandum pectore γνῶσις (εαυτοῦ, divitiarū
 anima nostra paulò accuratius inspicienda. In quem finem presen-
 tem dissertationem de animâ rationali ejusq; facultatibus conscribere,
 & publica disquisitioni submittere constitui. In duo v. eadem dis-
 pescitur mēbra, quorū prius erit de ipsâ animâ rationali, tūm quoad
 ejusdem naturam & quidditatem, tūm quoad ortum & originem. Po-
 sterior v. erit de facultatibus & potentiis quæ proximè ex essentiâ ip-
 sus fluunt. Placeat DEo, qui unicus anima nostra scopus, aciem men-
 tis pro inspectione veri dirigere & illustrare. Esto igitur bonò cum
 DEo.

MEMBRUM I.

DE

ANIMA RATIONALI.

§. 1.

DE themate aliquo disserturis in more est, ut quæstioni τί ἐστὶ
 præmittant quæstionem εἰ ἐστὶ, quum juxta Arist. 2. post.
 anal. c. 7. impossibile sit, ut cognoscatur τὸ quid sit, ignoratò
 τὸ an sit. Verum hoc ipsum in præsentî materiâ observare
 non opus puto, si quidem præter Dicæarchum, qui olim teste
 Cicerone 1. Tusc. animam negasse dicitur, neminem hodiè tam
 absurdum & crudum novimus qui non in seipso perciperet
 tam divinæ particulam auræ, per operationes omni conditio-
 ne corporis superiores satis manifestè se exerentem. Cum er-
 gò juxta leges de re certa ac manifestâ disputandum non
 sit, sufficiat nobis h. 1. τὸ τί ἐστὶ animæ indagare, ipsiusq; natu-
 ram tūm ex definitione tūm ex origine penitus considerare.

§. 2. Nota a. est nobilis distinctio Logicorum, quâ
 definitionem distinguunt in Nominalem & Realem. Nomi-
 nalem vocant, quæ rem interpretatur ex nominibus. Rea-
 lem, quæ ipsam rei essentiam explicat per genus & differenti-
 am. Ad illam tria requirunt 1. notationem nominis & ety-
 mon. 2. distinctionem æquivoci, & 3. Synonyma Grammatica
 s. æqui pollentiam terminorum & eorum, quæ idem significât
 planiusq; proponunt. Vid. B. Scharff. Instit. Log. l. 7. c. 1. p. 891.

Sin-

Singula hæc in definitione animæ rationalis observare juvat

§. 3. Etymologiam igitur quod concernit, vox animæ orta videtur à Græco ἀνεμος, ventus, ubi tamen propterea minimè in eorum descendimus sententiam, qui statuerunt, animam se habere in corpore humano velut ventum h. e. meteorum illud spirituosū, quod ex effluviis spirituosis ac flatuosis oritur, non nescii, quod nō ex quavis etymologiā ad rem ipsam fieri possit argumentatio, & Philosophi magis iudicent de re ex propriā ipsius naturā, quàm ex nominibus & Etymologiis, si Etymologiæ naturam rei non satis explicant, l. quandoque planè repugnant.

§. 4. Synonyma sunt partim Ebraïca, partim Græca, partim Latina. Ebraïcis dicitur נפש item נשמה ut Gen. 2, 7. נשמת הרוח תשוב אל-האלהים. item ניהוה ut Eccles. 12, 7. ניהוה הרוח תשוב אל-האלהים. Græcis præprimis dicitur ψυχή. Item γυμος. Item πνεύμα. Plutarchus apud Laertium vocat ἀπόσπασμα αἰθέ. εἰς, itē ἀπόσπασμα ἀπαύγασμα Θεῶ. Latini pro diversitate operationum diversas m. ipsi tribuunt appellationes. Ratio ipsis dicitur, quia est principium rationis rectique iudicii: Mens quia intelligit: Memoria sc. intellectiva quia recordatur. Dicitur item actus primus quia corpus tanquam forma informans actuat & perficit. Item anima intelligens ob principaliorē ipsius facultatē, intellectum.

§. 5. Homonymia deniq; variā est. Præterquam n. quod anima ut sic, alia sit vegetans, quā plantæ; alia sentiens, quā bruta; alia intelligens, quā homines vivant; hæc ipsa anima sc. rationalis pro diversitate cōsiderationis variis subjacet æquivo-
cationibus. Consideratur n. tum Theologicè tum Philosophicè tum Logicè. Theologus agit de ipsā, quatenus constat ex revelatione divina. Logicus, quatenus substat notionibus secundis, finique suo inservit constituendo l. subjectum l. prædicatum alicujus enunciationis. Philosophus demum quando agit de ipsā, spectatur vel absolutè vel respectivè. Illò modo quatenus nim. absolutè in suā naturā spiritali sub conceptu quidditativò spiritus secundum attributa tum generalia, quæ omni Spiritui tam finito quàm infinito communia sunt, tum

propria, quæ ipsi tantum per naturam Spiritualem absolutam
insunt, consideratur, pertinet ad Pneumaticam; Hôc v. modò
quatenus respectivè consideratur, pertinet tum ad Ethicam,
quatenus nim. est principium & subiectum virtutis & causa acti-
onum humanarum: tum ad Physicam, quatenus respectum
habet ad corpus naturale, cumq; eo tanquam forma informas
totum essentiale hominem constituit. Agit deniq; m. de ip-
sâ Metaphysicus, quatenus sub Entis quasi speciebus cõprehē-
ditur. Vid. B. Scharffius Pnevm. l. 4. cap. 1. p. 395. Quando er-
gò h. l. tractatio instituitur de animâ rationali, non considera-
mus eandem ut Theologi, non ut Metaphysici, non ut Ethici,
nò ut Pneumatici, nò ut Logici, d. ut Physici, quod l. ex inscri-
ptione cuius ad oculos patet. Disputatio n. nostra est phy-
sica, E. m. ejusdem objectum ex nullâ alia disciplina quàm Phy-
sica desumptum esse debet.

§. 6. Definitur a. in hoc respectu à B nostro Sperlingio,
quod sit forma hominis, quâ est, intelligit & vult. Vid. Ejus An-
thropol. l. 1. c. 1. Quam quidem animæ nostræ delineationem
non venditamus pro accuratâ aliquâ definitione, sufficiat no-
bis in hâc imbecillitate aliqualis descriptio, quæ tamen quid-
dam & naturam rei definitæ sufficienter quatenus ex-
plicat. Siquidem assentimur hîc Scaligero exerc. CCCVII
sect. 12. de Formis in genere differenti: Nomina Tu lapidis, qui
quotidiè oculis tuis obversatur, formam, & Phyllida solus habe-
to: Nego tibi ullam esse formam nobis notam plenè & planè,
nostramq; scientiam esse umbram in sole. Videbimus tamen
quid data descriptio in recessu habeat, & an definito suo æqui-
polleat, sufficienterq; ejus naturam declaret.

§. 7. Constat a. tum genere tum differentiâ. Generis
locò stat forma. Præsupponimus n. agi hîc de animâ non qua-
tenus se habet in statu separationis, d. quatenus est in statu in-
formationis, quû adhuc corpori est unita, ipsumq; informat.
Quoniam v. voc. Formæ multipliciter accipi solet, prout ex Me-
taph. constat, notandum est, ne æquivocatione vocis decipia-
mur, nos non loqui .i. de formâ accidentali, quæ accidentaliter
saltem rei essentiam determinat, qualis forma resp. hominis est

eru-

eruditio; sed essentiali, quæ ipsam rei essentialiam constituit,
& cum materiâ unum Ens per se facit: Neq; sermo est no-
bis de Formâ Metaphysicâ l. Logicâ, sed Physicâ. Nimirum
formam Metaphysicam describunt Sapientes per ipsammet rei
quidditatem & essentialiam totam, quâ ratione Forma hominis
esset humanitas; Logica v. ipsis est differentia specifica & pro-
priissima, & sic rationalitas esset forma hominis: Physica tan-
dem, quam hic spectamus, est altera pars compositi, & hæc est
in homine anima rationalis. Neq; 3. intelligimus formam
genericam, quæ speciem certam non constituit, magisq; ma-
teriæ quàm formæ rationem habet, quales formæ in homine
sunt formæ Elementorum, &c. sed Specificam, quæ speciem
humanam constituit, certarumq; affectionum & effectuum
causæ existit. Nec deniq; 4. res nobis est cum forma adsistente
sed informante. Illa n. extrinsecus saltem rei adsistit, ejusq;
motum & operationem dirigit, ipsam v. essentialiam rei non in-
greditur, quomodo nauta est forma adsistens navis, quam gu-
bernat, orbium cœlestium (ex hypothese Aristotelis loquor) in-
telligentiæ, Angeli corporum ad tempus adsumtorum, equo-
rum auriga, Præceptor discipuli &c. Unde talis forma anima
prorsus esse nõ potest. utpote per quâ homo cõstituitur in suo
esse, quamvis non defuerint, qui cum Platone in Alcibiade (te-
ste Morisano comment. & disp. Phys. de animâ disp. 1. quæst. 4.
p. 683.) animam rationalem formam hominis adsistentem di-
cerenon dubitârunt. Verùm rectè hic Svarez disp. Met. tom.
1. disp. 15. sect. 1. Illa anima sc. rationalis, inquit, est vera forma
corporis, nõ n. potest esse substãtia adsistens, aut extrinsecè mo-
vens corpus, aliàs non vivificaret illud, neq; ex præsentia &
conjunctione ejus essentialiter penderent opera vitæ, nec de-
niq; esset ipse homo, qui intelligeret, sed quædam alia substan-
tia illi adsistens. Vide plura de his formarum generibus ap-
B. Scharff. Met. exempl. p. 146. Excell. Dn. D. Calovium Met.
divin. part. gen. p. 479. B. Sperlingium Instit. Phys. part. gen.
cap. 3. de Formâ.

§. 8. His præsuppositis probamus nostram sententiã,
Animam nim. rationalem esse formam hominis essentialem,
phy-

physicam, informantem & specificam seq. argumento: Per quod homo habet esse, distingui, & operari, illud est ejus forma essentialis & specifica. Atq; per animam rationalem homo habet esse, distingui & operari. E. Major patet, fundatur enim in Canone physico: Forma dat esse rei, distingui & operari. Min. facile quoad singula membra probari potest. Quoad primum sic argumentor: Quod presente res constituitur in suo esse, quoque absente perit, illud dat esse eidem. Atqui de anima rationali resp. hominis verum est, prius. E. Ubi tamen notandum est, Animam dare esse homini non effective, quomodo solus Deus dat esse corporibus naturalibus; neq; subjective, quod materiz est, que dum causat subicitur; sed formaliter, quatenus seipsam communicando ultimam homini largitur perfectionem. Quoad secundum discursus sic progreditur: Quicquid dat esse rei, illud m. dat distingui, ratio est, quia esse simul infert unitatem, unitas a. tam indivisionem in se, quam divisionem a quolibet alio. De anima v. rationali prius jam est probatum. E. Et quidem res ipsa loquitur, denominatur n. ab eadem rationalis, quo distinguitur a ratione irrationali. Tertium rursus primum & secundum pro fundamento habet, modus n. operandi sequitur modum essendi. Unde argumentor: Quicquid dat esse rei & distingui, illud eidem m. dat operari. Atqui A. R. dat homini esse & distingui, E. Remanet ergo verum quod in principali argumento conclusum erat, nim. animam rationalem esse formam hominis essentialem & Specificam.

§. 9. Hæc de genere s. conceptu determinabili & convenientiæ, sequitur conceptus determinans & differentiæ, qui cæteris absolvitur verbis. Petitur a. hæc differentia tum a subiecto, tum ab effectu. Subiectum est homo, dicitur n. forma hominis. Ubi præsupponimus propter multiplicem voc. Subiecti acceptionem nos non loqui de subiecto prædicationis, quod est prior enunciationis pars, adeoque non ad physicam, ubi realia non notionalia nobis proponuntur, sed ad Logicam potius spectat; neq; m. de subiecto inhesionis, quod acciditibus, quorum esse est in hæsiive inesse, proprium, nulloq; modo Animæ rationali, que Substantia est, conveniens, sed de subiecto operationis, deno-
mina.

minationis & informationis, quale hominem respectu animæ rationalis esse dicimus. Subjectum enim informationis est, quia per animam informatur, actuatur & perficitur: Subjectum denominationis est, quia ab animâ denominatur animatus, à rationali rationalis: Subjectum deniq; operationis est, quia per animam operatur, intelligit & vult.

§. 10. Duæ a. circa Subjectum hoc non ignobiles oriuntur controversiæ, ex quibus natura animæ nostræ eò clariùs innotescit. Prima est, quum dictum sit, animam esse formam hominis, an hæc ipsa toti Subjecto, homini, sufficiat? an v. præter eam aliæ adhuc in homine concedendæ sint animæ? Altera est, de ipsiusmet animæ rationalis sede. De utraq; $\sigma\upsilon\upsilon\theta\epsilon\omega$ quantum fieri potest, brevissimis.

§. 11. Primam quod concernit, non pauci sunt, qui ad posterius inclinare videntur, inter quos præprimis est Zabarella, qui omni conamine demonstrare nititur, nō unam sed tres inter se distinctas in homine esse animas, rationalem, quæ faciat, ut homo sit homo, sensitivam, quæ faciat, ut sit animal, & vegetativam, quæ faciat, ut sit vivens. Verum n. verò hæc sententia prorsus falsa est & absurda, quicquid etiam dicat Zabarella. Quod ut meliùs pateat, status controversiæ primò est formandus, deinceps probationes subjungendæ. Circa statum controversiæ formandum distinguendum est inter conceptum & inter rem. Non negamus varios conceptus animæ rationalis esse posse, manente tamen unâ eademq; animâ. Nā ob facultates & operationes, quas cum vegetativâ & sensitivâ communes habet, modò concipitur ab intellectu nostro ut sensitiva, modò ut vegetativa, sed hic concipiendi modus nō variat rem, verum manet in homine una anima rationalis, quæ harum omnium vices in se suscipit & exequitur, Sic quatenus nobis dat esse, forma dicitur: quatenus vivere, anima: quatenus vegetare, anima vegetativa: quatenus sentire, anima sensitiva: & deniq; quatenus intelligere, anima intelligens seu rationalis. B. Sperling. Synops. Anthrop. I. I. c. I. q. 2.

§. 12. His jam suppositis probamus nostram sententiam, dari nim. in homine unam tantum animam i. per deductio-

B

nem

nem ad absurdum hunc in modum : Unius rei una tantum est forma specifica, substantialis & totalis, quæ ipsam informat & ab aliis distinguit. (Notanter dico, forma specifica, substantialis & totalis, quia aliàs satis constat, plures posse dari unius ejusdemq; rei formas genericas, partiales, subordinatas & accidentarias v. g. in ipso homine sunt formæ Elementorum, ignis, aëris, aquæ, terræ, item forma carnis, cutis, ossis, jecoris &c. item formæ accidentales, ut eruditio & aliæ ejusmodi, imò multæ subordinatæ; verum hæ non insunt ipsi ad modum animæ, cujus quoq; nec officio funguntur, nec operationes exercent; sed ad materiæ dispositionem & determinationem pertinent, formæq; specificæ subjiciuntur.) Jam subsumo: In homine præter animam rationalem dantur plures animæ specificæ, substantiales & totales, ex hypothesi Adversariorum. E. homo non est unum quid seu una res. Pergo: Quicquid non est unum, non est Ens, Ens n. & unum inter se convertuntur. Homo non est unum. E. non est Ens. E. est non-Ens, quod omnium absurdorum absurdissimum. 2. Si in homine præter animam rationalem etiam daretur vegetas & sentiens distinctæ ab anima rationali, sequeretur hominem triplici morti esse obnoxium. Consequentia est firma, diversæ enim formæ substantiales diversos postulant uti ortus, ita & interitus: Consequens vero est absurdum, quia sic in homine prius oporteret animam rationalem separari, post sensitivam & denique vegetativam discedere, cui veritas reclamaret, quia separatâ in morte animâ rationali, nulla remaneret sensitiva, vel vegetativa.

§. 13. Verum quia pro veritate non pugnat, nisi qui falsitatem etiam oppugnat, videndum quoq; quid hîc soleant objicere adversarii. Nimirum urgent 1. locum Aristotelis l. 2. de generatione animalium cap 3. ubi dicit, foetum hominis primò animatum esse animâ vegetativâ, deinde sensitivâ & deniq; rationali, inde concludunt tres in homine vitas & consequenter etiam tres animas. 2. Objiciunt diversas operationes, quæ signa sunt, juxta ipsos, diversorum principiorum. Jam verò dicunt, sentire, vegetare sunt operationes diversæ ab operatione

rationibus animæ rationalis, quæ sunt intelligere & velle. & tamen dantur in homine, Ergò etiam sua propria in homine habebunt principia, animam nimirum sensitivam & vegetativam, ubi enim operatio alicujus formæ propria, ibi forma ipsa. 3. Urgent animæ rationalis immaterialitatem, dicunt enim immateriale non potest includere materiale. Anima rationalis est immaterialis. Ergo. 4 dicunt, duos contrarios actus non posse proficisci ab una formâ, sed in homine dari tales. Ergò. Minorem probant de appetitu rationali & sensitivo, qui oppidò contrariantur inter se, ita ut quod mens & ratio svadeat, appetitus sæpè aversetur & contrâ, juxta illud Medæ apud Ovidium Metam. l. 7. fab. 1.

*Trahit invitam nova vis, aliudq; Cupido,
Mens aliud svadet: video meliora proboq;
Deteriora sequor.*

§. 14. Hæc tamen argumenta tanti non sunt momenti, ut nos à veritatis semitâ in *ψυχοπλαστών* errores inextricabiles possint abducere. Primum enim quod concernit, mirum quidem in modum Interpretes se torquêt in eo loco, præprimis Conimbricenses, quorum verba vide apud B. Spersl. Anthropol. l. 1. c. 1. q. 1. p. 64. 65 tandem statuentium accessu animæ sensitivæ aboleri vegetativam & ingressu animæ rationalis extingui sensitivam. Quos etiam sequitur Morisanius qui l. infra citando inquit: Positis dispositionibus ad animam sensitivam, adveniēti cedit vegetativa, & rationali sensitiva. Verùm hæc responsio minimè solvit dubium, quin potius absurda absurdis cumulet. Nam sic adhuc triplex in hominæ infertur essentia, primùm plantarū, post brutorū tandē hominis. & sic bruta fuim9 & plātæ, antequā homines: Duplex quoq; infertur mors ante nativitatem, & sic qui jam natus, antequam natus, bis mortuus fuit. Nam ut loquitur Scaliger Exerc. ccxc. Deletâ primâ (animâ) fœtus morietur: rursusq; nascetur in secunda. Quâ destructâ rursus miser interibit: tertioq; orietur in postrema. Et quod maximè arduum æquè ac miserum est, in primâ generatione non generabitur Cæsar Dictator sed Beta aut lactuca. Superest tamen adhuc aliqua responsio in

mundo ad locum obiectum, nimirum, in totum negantur ista
animarum successionem ob iam dicta absurda. Generatio
enim, quæ est formæ introductio, fit in instanti, adeoq; quando
generatur homo, simul etiam producit anima hominis, nõ
plantæ, non bruti. Nec obstat, quod foetus adhuc in utero la-
tens non intelligat, nec velit, quæ tamen propriæ animæ ratio-
nalis sint potentiæ, distinguo enim inter actum Animæ enti-
tativum & formalem, inter ejus *ἰσχύαν καὶ ἐνέργειαν*, inter actum
primum & secundum. & dico, à negatione hujus ad negatio-
nem illius nullam esse consequentiam, sed animam rationalem
ratione sui statim à primò conceptionis momento in foetu es-
se, licet per proprias operationes se non exerat. Ad II. Resp.
Negando consequentiam, quia diversæ operationes non sta-
tim sunt signa diversorum principiorum. Dist. enim inter
plures & diversas potentias, & inter plures ac diversas formas
substantiales. Diversitas operationis quidem infert diversi-
tatem potentiæ, non tamen diversitatem formæ, potest enim
hæc eminenter continere virtutem alterius, & sic etiam causa
esse diversarum operationum. Unde & altera propositio ita limi-
tata est: Posita operatione alicujus formæ propriæ, ponitur ipsa
forma vel secundum se & essentialiter, vel secundum virtutem & emi-
nenter seu virtualiter, quomodo forma tam vegetans quam
fetiens sub animâ rationali continetur. Ad III. eadē ratione potest
responderi, distinguendo nimirum inter inclusionem seu continentiam
formalem: & virtuales s. eminentem. Formaliter anima
rationalis, quia immaterialis, non potest includere cæteras tam-
quam materiales, potest tamen virtualiter & eminenter, sicut
Sol calorem. In IV. nego consequentiam: Si enim non impli-
cat, actus contrarios proficisci ab eadem potentia, ut assensum
& dissensum ab intellectu, volitionem & nolitionem à volun-
tate, propter universalitatem potentiæ, quanto minus impli-
cabit ab eadem animâ proficisci duos contrarios actus, quum
anima multo universalior sit potentiis. Vid. plura de hæc con-
troversia apud B. Sperling. Anthropol. l. I. c. I. q. I. & Medit. in
exerc. Scal. medit. 16. p. 457. D. D. Danhauerum Colleg.
Psychol.

Psychol. disp. 1. contr. 3. p. 16. Morifanum comment. & disp.
Phys. de animâ disp. 1. q. 7. p. 586.

§. 15. Discussâ jam hâc controversiâ, altera quæ est de sede animæ, restat evolvenda, de quâ innumeræ ferè apud Vereres fuerunt sententiæ. Parmenides & Epicurus sedem animæ dixerunt universum pectus. Straton partem inferiorem frontis. Herophilus cavam cerebri partem seu basim. Erasistratus sinum cerebri. Diogenes arteriam cavam cordis. Alii sanguinem dixerunt animæ sedem, alii non sanguinem totum, sed spiritum vel tenuem sanguinis partem. Plato tria in homine annotavit principalia membra, quæ essent animæ sedes, cerebrum nimirum, cor & jecur, in quibus tamen principatum cerebro concedit. Quibus quartum, nimirum testes, pro conservanda specie addit Avicenna, aliq; cum eo. Aristoteles statuit cor esse membrum principale, in quo velut in arce anima resideret. De quorum omnium sententiis prolixius differit Piccolomineus lib. de sede animæ per totum. Nostra verò sententia ut patefiat, animam hominis totam esse in toto corpore & totam in qualibet ejus parte, constanter propugnamus & defendimus.

§. 16. Ad statum verò Controversiæ formandum tam circa subjectum, tam circa prædicatum quædam sunt notatu digna. Circa subjectum 1. iterum præsupponimus, non esse sermonem nobis de quâvis animâ tam materiali quàm immateriali, sed sattem de eâ, quæ ex pers est materiæ, anima nimirum rationali, de quâ etiam tota nostra agit disputatio. Formæ quidem materiales sunt totæ in toto corpore, verùm non item in qualibet corporis parte, sed quia materiales, imò non nisi in materia fiunt, fiunt & operantur, ad extensionem quoq; materiæ extenduntur & dividuntur. 2. Quando anima dicitur tota, non intelligitur totum propriè dictum, quod semper involvit aliquam vel ex partibus essentialibus vel integrantibus compositionem, quæ simplicitati animæ nostræ prorsus repugnat; sed impropriè totum, ut nimirum accipiatur pro omni suo esse. Sensus igitur hic est, quod omne quicquid habet anima rationalis, totum in toto corpore, & totum in quâlibet corporis parte reperiatur, & ita totum accipitur non positivè sed negativè. Circa prædicatum distinguo inter τὸ esse

B 3

princi-

principale & inter esse participatum, inter esse in aliqua parte radicaliter, & inter esse derivativè, vel subjectivè tantùm. Unde frustra nobis opponunt, corde vulnerato hominem statim emori, idque causam esse, quod anima ibi sit quoad essentiam, ita ut alibi non: concedimus enim animam habere in corde suum esse principale, ibique esse radicaliter; exinde tamen non sequitur, non esse in cæteris membris, in iisdem enim habet esse participatum, nusquam tamen exclusâ animæ ipsius præsentia. Quin alia subest causa, quia enim cor est fons caloris nativi, eò pereunte necessaria est animæ solutio.

§. 17. Confirmamus hanc nostram sententiam, quod nimirum anima sit in toto corpore tota, inque quâlibet ejus parte, quoad singula membra. Nam duo hic præprimis probanda veniunt, unum respectu subjecti, animæ, quod tota sit, ubicunque sit: Alterum respectu prædicati, quod non in unâ vel alterâ tantùm corporis parte resideat, sed in toto corpore sit, singulisque partibus suam essentiam communicet. Prius probamus ab animæ indivisibilitate, quæ quæ Spiritus sit, spiritualis ejus natura ob materiæ carentiam, nullam admittit vel extensionem vel divisionem. Spiritus enim non habet partes extra partes, est *diversus* D , est totus ubicunque est, tota que ejus essentia existit, ubi existit. Sed anima nostra est Spiritus, nullas ergò in ipsa deprehendere licet partes, sed nil nisi unum, nil nisi totum. Mens, inquit Piccolom. l. c. p. 1818. non extenditur sed ubicunque est, tota est.

§. 18. Objiciunt hinc quidem nonnulla, quod nimirum, si tota anima sit in manu vel pede, quia in singulis est partibus, abscissâ illa parte, abscindi oporteret totam animam: itemque si in una parte sit tota, impossibile esset, ut etiam in alterâ sit tota, quia quod alicubi totum est, ejus nihil est extrâ. Verum Resp. ad 1. animam rationalem, quæ Spiritus, nullo modo posse abscindi aut dividi. Abs istis igitur membris, is non amplius inest, sed in seipsam eò ipso temporis momento retrahitur, sine tamen sui duplicatione aut triplicatione; sed virtuali contractione, non secus ac Angelus sine omni quantitatis

titatis incremento vel decremento se per totum conclave potest diffundere, & liberè iterum se totū in puncti & *δενότι* cōtrahere, ut eleganter Scaliger exer. CCCLIX. Ad 2. dist. cum B. nostro Sperling. inter totam animam & inter totum animæ. Totum animæ non est in hâc vel illâ parte, aliàs non esset in alterâ: Tota v. anima est ubicunque est, quia est Spiritus, uti antea probatum.

§. 19. Alterum, quod propiùs scopum nostrum attingit, utpote dum agimus de sede animæ, jam probandum nobis venit, animam nim. rationalem, quam totam esse ubicunque sit, diximus, esse in corpore totò, & etiam in quâlibet ejus parte, quod patet: 1. ex propriò animæ nostræ munere ac officio, quod est informare corpus. Já v. omnis forma informans est in totò subjectò informationis, quia actio formalis ad omnes partes se habet æqualiter. E. etiam anima rationalis, quam formam hominis informantem esse supra probavimus, erit in totò subjectò nim. homine. Porro: Quicquid inest toti, omnibus etiam simul partibus inesse necessum est, si n. in unâ parte non esset, neque in totò esset. De animâ verum est prius. E. 2. ex operationibus, quas omnes partes corporis animæ beneficio exercent, vitalibus. Jam v. ubi operationes animæ propriæ, ibi ipsa anima, quia operationes præsupponunt facultates, facultates a. animam ipsam. Atqui per omnes partes corporis humani se exerunt operationes animæ. E.

§. 20. Sed neque hîc desunt, qui nobis adversantur, dicunt enim: Si in quâlibet parte hominis tota sit anima, sequitur etiam in quâlibet parte esse ipsius potentias, adeoque & manum, pedem &c. intelligere, velle, loqui, facultates enim à subjecto suo separari non possunt. Verùm n. verò prius illatum libenter concedimus, siquidem m. in ipsò pede, manu &c. sit intellectus aliæque facultates, quippe ab animâ inseparabiles: sed à facultatibus ad earum exercitium concludi posse, hoc est quod negamus. Non ergò sequitur: Anima & per consequens intellectus est in manu vel pede. E. manus & pes intelligunt, negatur, quia anima dum corpori est unita,
agit

agit per certa organa, ubi ergo eadem sunt, ibi suas exercet operationes, manus v. & pes non sunt idonea organa intellectio- nis, quæ per specierum intelligibilium receptionem fieri debet, unde nec mirum, quod actus intelligendi ipsis non competat. Rectè hîc Scaliger ad Cardanum exerc. cccvii. Dubitare videris, inquit, an statuere queas memoriam in omnibus corporis partibus. His enim verbis uteris: Videtur memoria omnibus corporis partibus inesse, quippe in digitis, cum citharam pulsamus. Quin dico tibi, intellectum esse etiam in pedibus. Una n. in nobis anima, suis undiq; stipata potestatibus, nempe essentialibus sibi. Ubi v. instrumenta sunt, ibi exercere actum suum ipsam potestatem. Si n. oculus esset in digitò, videret digitus per oculum, nullâ accitâ à cerebrò potentiâ. Vid. B. Sperling. Anthropol. l. c. q. 3. p. 77. & Medit. in exerc. Scal. medit. 16. p. 451. Dn. D. Danhaucus l. c. disp. 1. controv. 4. p. 24, Morisanius l. c. q. 8. p. 587.

§. 21. Hæc de subjecto: sequitur effectus animæ, qui juxta descriptionem datam consistit partim in essentiæ constitutione, per animã enim homo est, quicquid est, quod etiã supra §. 8. probatũ dedimus: tum in facultatũ communicatione, per animã enim homo dicitur intelligere & velle, quæ primariæ animæ sunt facultates. Sed de his membro II.

§. 22. Vidimus ergo naturam animæ in se per definitionem, restat jam ut eandem ex origine, quantum fieri potest, cognoscamus. Digna sanè controversia, quæ à quo vis ventiletur. Verum & hîc locum habet illud commune dictum: Δύσκολα τὰ καλὰ, quò enim generosior, eò operosior quoq; eadem est, quæ sumos & eruditissimos viros adeò exercuit, ut multi τὸ ἀπέχειν arripere, quam certi aliquid determinare maluerint, plures præconceptis præprimis implicati falsis hypothesebus, pro Junone nebulam, pro veritate umbras atq; tenebras amplexi fuerint.

§. 23. Duæ verò hodiè (missis iis, qui vel cum Platone ejusque asseclis omnes animas simul & lem̄ ante mundum conditas in cœlo asservari, in generationibus verò corporibus immitti somniarunt: vel cum Origene l. 1. περὶ ἀρχῶν, statuunt, animas simul omnes cum Angelis creatas esse; sed propter inordinatum
amorem

amorem terrenorum in corpora tanquam in carceres detruendi. A quorum sententiâ non abludit ea, quæ est Talmudistarum & Rabbinorum quorundam, qui non tantum docent, prius creatas fuisse animas quam corpora; sed locum etiam assignant, & domicilium, ubi animæ, antequam in mundum veniant, seseque corporibus jungant, asservantur. de quibus vide Slevogt. Dispp. Academ. disp. 22. p. 497.) de productione animæ præprimis sunt sententiæ: Quum enim duplex in universum substantiam producendi via sit, una ordinaria per generationem, altera extraordinaria per creationem, quidam ad creationem, quidam ad generationem productionem animæ referunt. Creationem defendunt omnes ferè tam Philosophi quam Theologi, Calviniani & Pontificii: Generationem verò & in specie traductionem, omnes præter Brentium, γυναικας Lutherani sanioresque Philosophi, quibus & nos assentimur, & animam rationalem per traducem propagari constanter asserimus & defendimus.

§. 24. Ut res verò eò melius pateat, circa statum controversiæ notandum I. terminum traducis non sumi à nobis in propriâ suâ significatione, ubi notat surculum ab una arbore sectum, & in aliam seu ejusdem seu diversæ speciei traductum, sic enim traductio semper decisionem aliquam infert; Sed μεταφορικῶς, ita ut traductio h. l. nobis nihil aliud notet, quam transvectionem animæ, quæ fit spermatis beneficio in hominis generatione. 2. Distinguo inter communicationem animæ μεταβατικὴν & ἀλλοποιητικὴν. Quando dicimus Parentes Filio communicare animam, non illam intelligimus, sic enim seipso suâ privarēt animâ; sed hanc, quâ anima Parentum multiplicando se novâ producit animam. 3. Dist. inter productionem, quæ fit ex semine, & quæ fit in & cum semine. Anima non producitur ex semine, licet mediante illo propagetur & traducatur.

§. 25. Hoc fundamento jam posito probamus nostram sententiam I. à benedictione divinâ, in prima creatione homini concessa, quæ consistit in hoc, ut homo sese multiplicet quâ corpus, quâ animam. Unde argumentor: Cuicumque à Deo concessa est vis multiplicandi seipsum, ille verè se multiplicat. Homini concessa est. E. Consequentia majoris firmissima est, quia hæc benedictio divina non fuit γραμματικὴ, quæ primavos nostros parentes duntaxat affecerit; sed vere fuit πραγμα-

C

τικὴ

τὴν & maximè ἐπερὶνῆν, uti dicit D. Thummius Tract. de OR. A. R.
 Non fuit inanis ille iustus, inquit. B. Dn. D. Sennertus Hypomn. IV.
 c. 6. sed prorsus efficax: DEus enim dum iussit, vim simul contribuit
 suam singulis, quâ quod iussa essent, perficerent. II. à generationis natu-
 râ & termino. Hic est forma specifica: Illa v. consistit in sibi similis quo-
 ad speciem productione, quæ sine formâ specificâ esse non potest. III. ab
 actuali animæ in semine præsentia, non quidem tantum secundum ali-
 quid sui esse quoad inchoationes quasdam, uti falsò nonnulli putarunt,
 de quibus vid. Moris. l. c. disp. de principiis rerû naturalium quæst. 10.
 p. 302. sed secundum totum esse. Vid. B. Sperl. medit. in exerc. Scal. me-
 dit. 14. p. 408. Ubi tamen not. 1. nos non loqui de semine ante genera-
 tionem, quatenus adhuc in testibus parentum hæret; sed post generatio-
 nem, ubi in uterò benè dispositò legitimè mistum & suscitatum est. Neq;
 etiam 2. de semine maris aut foeminae divisim; sed cõiunctim sumto. Huic
 statuimus inesse animam, si non quoad actum formalem, tamen quoad
 actum Entitativum, si non quoad actum formalem simpliciter, tamen
 quoad actum formalem secundum quid. Unde argumentor: Si anima
 statim post conceptionem in semine præsens est, sequitur non demum
 post quadragesimû diem à DEo infundi, sed ab animabus parentum sta-
 tim in actu generationis traduci. Prius est. E. Minor prob. ex operatio-
 nibus, quas edit anima in semine latens, & præcipuè ex fabricatione to-
 tius corporis. Aut enim illa fit à substantiâ, aut ab accidete. Non ab hoc,
 quia accidens non agit nisi per vim suæ substantiæ. E. à substantia, quæ
 nulla alia est, quàm anima ipsa. IV. à part. h. m. Quæcunq; vis & potentia
 inest tam inanimatis quàm animatis, illa non est deneganda homini, a-
 liàs n. deterioris esset conditionis quàm bruta, planta & mineralia, quo-
 rum omnium generatio terminatur in totò compositò. Atqui vis sese
 multiplicandi tam quoad corpus seu materiam, tam quoad animam seu
 formam, inest tam animatis quàm inanimatis. E. Minor, quod ad anima-
 ta, constat, siquidem videmus, canem generare totum canem, rûtam totâ
 rutam &c. Quoad inanimata & in specie quoad mineralia res adhuc
 videtur controversa. Verum audiendus est hic B. Dn. D. Sennertus de
 Conf. & diss. cap. IX. quando inquit: Sentio sicut in plantis & animalibus
 ab animâ in semine latente corpus plantarum & animalium forma-
 tur, ita etiam à spiritu quòdam χρυσοποιτικῷ, δευροποιτικῷ,
 λιθοποιτικῷ, χρυσ. α. λιθοποιτικῷ, formam architectonicam in se
 continente, in terrâ generari lapides, gemmas & metalla. V. à ceterarû
 sententiarum falsitate. Nam expugnata falsitate triumphat veritas. Et
 quidem quod ad Educationem, argumentor: Quicquid ex potentia ma-
 teriæ educitur, illud materiatur esse necesse est, aliàs effectus nobilior
 esset suâ causâ. Sed anima rationalis non est materiata, est enim spiri-
 tualis essentie. E. Ubi tamen not. aliud esse in materiâ fieri, aliud ex ma-
 teriâ fieri. Illud non facit animam materialem, sed hoc. Quod ad in-
 ductionem sic procedo: Quæcunq; sententia tollit omnem generationem uni-
 vocam

vocā, illa est falsa & inepta. Sētētia de inductione hoc facit. E. Itē. Effectus
 determinatus determinatā quoq; postulat causā. Sed cœlū, stellā, astrā,
 indeterminatē se habent ad quemlibet effectum. E. nullum per se sine
 causis proximis possunt producere effectum determinatum, qualis est a-
 nima Petri. Quod deniq; ad creationem, argumentor: Quicquid sit se-
 cundū ordinariū naturæ cursū, illud ad creationem referri nō po-
 test. Generatio hominis, qui constat ex animā & corpore, fit secun-
 dum ordinariū naturæ cursū. E. Major constat, quia quæ ordinariē
 fiunt, à DEO ἀμείως nō fiunt. Distinguendū tamē omninō hic 1. inter
 Tunc & Nunc, inter Naturam instituendam & institutam. Ab illā ad hāc
 non V. C. de corpore n. aliās etiam subsumere possem. 2. inter influxū
 DEI creativū & conservativū: Illū in generatione nostrā negamus,
 siquidem statim post hexaēmeron illud Thaumaturgus divinus ab ope-
 ribus mundū integrantibus & perficientibus (cum Cometis enim &
 Stellis novis aliter res se habet) creandis quievit; hunc v. in quāvis a-
 ctione nostrā veneramur, ubi semper DEUS concurrit, sed tanquam cau-
 sa prima & suprema, actione & concursu non ἀμείω sed ἐμμεώ. Un-
 de tandem concludo: Quæcūq; anima nec ē potentiā materiæ educi-
 tur, nec à cœlo & astris inducitur, nec deniq; à DEO immediatē infundi-
 tur, illa traducitur. De animā rationali prius jam est probatū. E. VI.
 ab absurdis, quæ ex contrariis sententiis oriuntur. Sequeretur enim (1)
 hominē non generare hominē, quū per animā homo sit, quicquid est: (2)
 patrem non esse causam filiī physicam, sed moralem tantū. (3) idem si-
 mul posse esse & non esse. Ponatur enim, patrem congressu peracto
 mori, jam v. generatio tūm demū juxta Adversarios fit, quando anima
 vel ē potentiā materiæ educitur, vel creata corpori unitur. Pater er-
 gō est & non est. Est quia generat: Non est, quia ante istud tempus in-
 ductionis vel educationis jam mortuus est. Ut taceam, quod Augustinus
 habet, se neq; legendo, neq; orando, neq; ratiocinādo invenire potuisse,
 quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendi possit.
 Quod sanē magni est momenti, cur traductio magis quā creatio defen-
 datur, siquidem anima, non corpus, est πρὸς τὸν δεικνύον peccati. Sed de
 hoc Theologi fufius.

§. 26. Probatā igitur firmiter nostrā sententiā, restat ut videamus
 argūta & rationes, quas in contrariū adducere solent. Urgent
 v. I. animæ spiritualitatem, quæ omnem prorsus materiam ex quā respu-
 it, omne a. quod generatur, ex materiā præexistente generari dicunt,
 quum in hoc differant creatio & generatio, quod hæc præsupponat ma-
 teriam, illa eandem neget. Verūm. Resp. 1. falsam esse illam hy-
 pothesin, omne quod generatur, ex materiā generari. 2. ingenerabilitas
 non est attributum Spiritūs in communi, siquidem non omni Spiritū
 repugnat generari. dist. saltem est inter Spiritū completum & incom-
 pletum. De facili concedimus, spiritus completos, quales sunt Ange-
 li, nec generare, nec generari; sed alia ratio est Spiritūs incōpleti, animæ

ratio na-

Rationalis, quæ non, ut Angeli ex creationis lege, per se subsistit, sed est pars altera hominis, quæ unâ cum corpore unum per se constituit. II. dicunt: Si anima per traducem propagatur aut propagatur ab utroque parente, aut ab alterutro, patre vel matre, Nô hoc quia vel patrem vel matrem à generationis opere excludere nefas est: Neque illud, quia sic vel uterque daret totam animam, vel dimidiam pater, dimidiam mater. Illud sine duplicatione animæ fieri nequit: Hoc impedit ejus indivisibilitas & immaterialitas. E. prorsus per traducem non propagatur. Resp. omnino statuendum, animam filii propagari ab utroque parente, à patre & à matre, qui tamen non sunt considerandi divisim, ut duo seorsim existentes; sed conjunctim, ut sunt una caro in singularissimâ conjunctione constituta, & per γαμικὴν συζυγίαν sibi invicem associata, ubi tanquam causæ sociæ stant pro unâ. Neque propterea duplicatio animæ metuenda, siquidem anima parentum tunc se habet non ut causa materialis, sed ut efficiens, quæ sese multiplicando novam speciem eandem sed numero diversam Filii animam producit, unde & dicimus notanter, animam filii non esse ex animâ parentum sed ab animâ. Efficiens v. est causa externa, quæ non ingreditur effectum, adeoque nullam compositionem inferre potest. Compositio enim spectat ad causas internas, materiam & formam. Plura vide de hac controversia ap. B. Sperling. Anthropol. l. c. q. 4. p. 81. item Medit. in Scal. exerc. medit. 14. 15. 16. p. 367. seqq. Conf. Eiusdem Instit. Phys. l. 1. c. 3. de Formâ. Meissn. Phil. Sobr. part. 1. sect. 3. c. 6. q. 1. p. 479. Dn. D. Danhauserum Coll. Psychol. disp. 6. p. 144. seq. & alios.

MEMBRUM II.

de

ANIMÆ RATIONALIS FACULTATIBUS.

§. 1. **P**erspectâ naturâ & origine animæ nostræ, ad facultates ipsius pergendum est. Ubi prætermittis, quum paucissimæ ducendæ sint lineæ, quæ ad rationem nominis pertinent, ad ipsam statim definitionem mentis oculos figemus, quam B. Sperlingius Synops. Anthropol. l. 1. cap. 2. his verbis proponit: Facultates animæ humanæ sunt qualitates ex animâ emanantes, ut homo istarum beneficio humanas edat actiones.

§. 2. Occurrit in hac definitione 1. Genus 2. Differentia, Genus est qualitas, à facultatibus enim hisce, Intellectu nim. & Voluntate, verè dicimur intelligentes, volentes. Non ergo facultates sunt ipsa animæ substantia, sed accidens aliquod ipsi superadditum, & ab animâ realiter distinctum. Quod notandum tum contra Nominales tum contra Scotum. Nominales enim ut Occam in 2. distinct. 16. q. 24. & alii, putant, potentias ita realiter idem esse cum essentiâ animæ, ut nequidem habeant distinctas rationes formales ab eâ, sed animam quatenus ad diversos actus influunt, diversæ etiam potentiæ nomen induere, & in quantum intellectionis principium est, intellectum, in quantum volitionis, voluntatem appellari, adeoque eandem animam entitatem conceptam, uti tribuens esse specificum Subjecto, esse animam, conceptam in ordine ad operationes esse potentiam. Scotus v. in 2. dist. 26. q. un. concedit adhuc aliquam distinctionem, sed exilem admodum, formalem sc. seu quæ ex naturâ rei est, ut videre licet apud Moris. comment. & disp. Phys. disp. 1. de animâ q. 11. & Slevogt. disp. Acad. disp. 23. p. 829. qui tam è peculiare etiam hic fovet sententiâ, de qua vide ipsum pluribus l. c. Verum n. vero nos pro reali distinctione sic argumentamur: Quicquid est qualitas, illud non est ipsa essentia illius rei, cujus est qualitas, sed accidens ipsi superadditum, ac realiter ab eâ distinctum. Facultates animæ sunt qualitates. E. Vid. B. Sperling. Anthropol. l. 1. c. 2. q. 1. p. 112. Conf. Morisanius l. c.

§. 3. Differentia petitur tum à causâ, tum à subjecto, tum à fine. Sed plura de his agere pagellæ non permittunt. Subsistimus ergo & divino Numini damus

GLORIAM,


05 A 195

ULB Halle 3
004 206 908


VD 15







DISPUTATIO PHYSICA 60
De
ANIMA RATIONALI,
ejusque
FACULTATIBUS

Quam
DEO DUCE
&
NATURA LUCE
Sub
PRÆSIDIO
DECANI SPECTABILIS
VIRI
Præximii atq; Clarissimi
DN. M. JOHANN. MICHAELIS Straussen /

Facult. Philos. Adjuncti meritissimi &c.
Domini Fautoris ac Præceptoris sui omni observantiæ
cultu ætatem devenerandi

Publicæ & placide disquisitioni exhibet
ad d. 22 Septembris horis antemerid.
in Auditorio majori

JOHANNES CHRISTOPHORUS WENIGER,
Glashuttâ-Misn.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN, Anno M. DC. LX.

61